

De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli

1, 8-12

Caríssimi:

⁸ Cum Iesum Christum non vidéritis, dilígitis;
in quem nunc non vidéntes, credéntes autem,
exsultátis lætítia inenarrábili et glorificáta,
⁹ reportántes finem fidei vestræ salútem animárum.

¹⁰ De qua salúte
exquisiérunt atque scrutáti sunt prophétæ,
qui de futúra in vos grátia prophetavérunt,
¹¹ scrutántes in quod vel quale tempus significáret,
qui erat in eis Spíritus Christi,
prænúntians eas, quæ in Christo sunt,
passiónes et posterióres glórias;
¹² quibus revelátum est
quia non sibi ipsis, vobis autem
ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis
per eos, qui evangelizavérunt vos,
Spíritu Sancto misso de cælo,
in quæ desíderant ángeli prospícere.

Verbum Dómini.